

16
J9
T
F

AVVISO IMPORTANTE.

UN invidioso Stampatore avendo avuto la bassezza d'animo di farci una ristampa del presente Libro nel tempo che si stampava da noi, avvertiamo il Pubblico acciò non resti ingannato, che alla detta ristampa mancano quasi tutte le annotazioni da noi poste, senza le quali il Libro non è niente intelligibile.



D E
MENTE HEROICA
DISSESSATI O
Habita

In Regia Academia Neapolitana
xiii. Kal. Novembris
Anno ccccxxxii.



NEAPOLI ANNO ccccxxxii.
Johannes-Franciscus Pacius
Regiae Universitatis Studiorum Typographus
Publica Auctoritate Excudebat.



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI VIRO
COM. ALOYSIO·THOMAE DE HARRACH
NEAPOLITANI REGNI
PRO REGE
MODERATORI
VIGILANTISSIMO INTEGERRIMO OPTIMO
QVI
QUATVOR GENEROSISSIMOS FILIOS
AD EGREGIAS PACIS BELLIQ. ARTES
MAIORVM ET SVO IN PRIMIS
HEROICO FINXIT EXEMPLIO
HANC DISSERTATIONEM
QVAE
STVDIOSAM LITERARVM IVVENTVTEM
MANVDVCIT
AD HEROICAM SAPIENTIAM
COMPARANDAM PRAECEPTIS
REGIA ACADEMIA NEAPOLITANA
OB PLVRIMA AB EO ET MAXIMA
BENEFICIA SIBI COLLATA
OBSEQVENTIS ET GRATI ANIMI
TESTEM D.

Ex Doctrina de Moribus.

Juvenes gloriā, Viri potentia, Senes utilitate
ducuntur.



DISSE^TRATI^O

UM in hac Regia Academia utilissimum institutum quotannis Literarum studia solemni ad vos, optimae spei Adolescentes, oratione habita rite & ordine auspicandi satis diu filuis set; & huic nuper creato Ill.^{mo}

PRAEFECTO, viro usquequaque doctissimo, & in vestra Re Literaria augenda, quam qui maxime, effuso id de more hac stata recurrente die in primis usurpari placuerit: me sane, qui tres supra triginta perpetuos annos Eloquentiae Professoris munere in hac ipsa fungor, & severis meditationibus literarjs sum pene absemptus, novum aliquod ad vos afferre argumentum omnino decet, non sententiarum calamistris, verborumque cincinis juveniliter exornatum, sed, quam maxime fieri potest, & ipsarum rerum pondere grave, & vestro uberrimo fructu refertum. Quod, quia suâpte naturâ est amplitudinis,

2 DE MENTE HEROICA

splendoris, sublimitatisque plenissimum, in eo
dissertando

fungar vice cotis, acutum

reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi;
& quia vos tantis promissis exciti in causa,
in qua vestra res agitur, jam ad attente ac
benigne audiendum parati estis, in primo in-
gressu hujus Dissertationis id dabo. In Lite-
rarum studia, Adolescentes ingenui, incum-
bendum vobis est, haut sane ob fines, qui-
bus facile a vili vulgo sordidoque vincamini,
ut ob parandas divitias; nec quibus a militi-
bus, aulicisque longe superemini, ut causa
honorum, & potentiae; neque adeo quibus
ducuntur philosophi, ipsius nempe Sapientiae
desiderio, quo capti plerique omnes in umbra
abdiit omnem aetatem degunt, ut ociosi sua
animi tranquillitate perfruantur. Aliquid est
a vobis expectandum longe praestantius. Sed
quid isthuc? mirabundus aliquis vestrum in-
quiet; a nobis humana conditione majora pe-
tit? Isthuc numero ipsum; sed ita majora,
ut sint tamen vestrae naturae convenientia.
A vobis, inquam, est expectandum, ut Lite-
rarum studijs operam detis, qua vestram Men-
tem explicetis Heroicam; & Sapientiam ad
Generis Humani felicitatem instituat: quo
consilio nedum divitiae opesque vobis eas
aspernantibus affluent; sed ipsi honores & po-
tentia vos nihil tale curantes ultro ambibunt.
Neque enim sine verbi delectu & pondere di-
xi, ut Literarum studijs Mentem Heroicam
expli-

*Heroica stu-
dendi Ratio
proponitur.*

DISSERTATIO.

*Heros Po-
rum.*

explicetis. Nam si Heros a Poëtis seu dicti,
sive facti sunt, qui divinum jactabant

genus ab Jove summo;

humana certe mens sine omni fabularum com-
mento divinam habet originem; cui tantum
debet, ut doctrinâ, & eruditione explicetur.
Videte, quantum a vobis humana conditione
majora peto, ut postulem a vobis divinam
prope vestarum mentium celebrari naturam!
Heros enim Philosophis definitur, qui subli-
mia appetit: sublimia autem ipsis sunt
haec optima maxima: supra Naturam Deus;
in Natura haec spectabilium rerum Universitas;
in qua neque quid majus est, quam Hominum
Genus, neque quid proinde melius, quam Ge-
neris Humani felicitas: ad quam unam uni
ce intendunt Heros; qui famâ meritorum in
Genus Humanum maxime pervagata, qua per
populos & nationes perstrepente voce Cicero
eleganter Gloriam describit, nominis fibi pari-
unt immortalitatem. Itaque vestra vobis stu-
dia principio ad Deum Optimum Maximum
sunt dirigenda; deinde prae Dei gloria, qui
nobis in universum Genus Humanum diligen-
tiam jubet, ad Generis Humani felicitatem.
Cum haec igitur proposita exposita ita sint,
eja agite, Adolescentes ad optima maxima na-
ti, & Mente Heroica ad hanc studiorum U-
niversitatem animos Deo plenos appellite,
ac proinde cunctis terrenis affectibus defoe-
catus ac puros; & cum ingenti vestro profe-
ctu experiminor divinum verum illud, *Initium*

*Heros Phi-
losophorum.*

*Gloria H
rouw scopn*

*Christianus
Literatus
Heros.*

*Pietas Hero
icae Sapien
tiae fund
mentum.*

Sapientiae est timor Domini: mens enim, quae divinis rebus suâpte naturâ infinitis, aeternisque oblectatur, non potest non agitare sublimia, non conari grandia, non efficere egregia: quare illa est persuasio minime temeraria, viros pietate insignes, ubi literis applicuerunt, non sine certa divina ope, ut Caesarem Baronium Cardinalem, aliosque quam multos cum mole, tura ingenio & doctrina admiranda opera lucubrasse. Dum vero ista hinc mente heroica Sapientiam e primo lignine salutatis, magno animo contemnemini, quae heic vobis ob oculos sunt exposita. Qui gravissimi viri praeclaris distincti insignibus heic ab dextera considerant, est Publica Eruditio, quam Augustus Caesar, CAROLUS VI. AUSTRIUS, Rex Hispaniarum vobis erudiantis heic habet instruam: ut quales virtute ad Imperij Romani, regnorumque tutelam fortissimos belli Duces per campos & acies sibi paravit; tales sapientiam ex vobis in hac umbra comparet ad eorumdem beatitudinem: quo vos invitat & compluribus in vos legum interrogatis beneficjs, & praeclaris honoribus huic Palatinae Militiae tuâ potissimum causâ collatis, studiosa literarum Juventus, o spes altera Reipublicae, o altera praecipua Summi Principis cura: cui administrans qui pro Rege hoc regnum summa virtute & sapientia feliciter moderatur, Exc^{mus} Comes ALOSIUS THOMAS DE HARRACH ita hanc studiorum Universitatem enixe fovet, eique ita prolixe favet,

favet, ut quod antea seculo contingebat, is trium annorum spacio quinque ex hoc Consessu Caesari commendarit Antecessores, quos Regios Episcopos designavit. Quantum autem in his ipsis sit doctrinae instar, etiam atque etiam cogitate: omnium aetatum, omniumque doctarum gentium Principes in quaque scientia Scriptores quemque horum ex sua cunusque facultatis vi mente condere, ut vobis non solum promptos habeant, & ad manum paratos, sed, ubi usus opusve sis videatur, ab sese praeterea explicatos, emendatos, & auctos: cui facultati quisque suae prolsruerunt periculosis solemnium praelectionum intra brevissimas temporis angustias factis experimentis; quibus spectati in hunc Antecessorum ordinem lecti sunt. Hinc intelligite, quo honore, quantaque veneratione voseos prosequi oporteat; quod ab eorum laeva tot amplissimi Senatores adsiveant; quaeloci dignitate profitentur, se suam huic Publicae Eruditioni accepto referre sapientiam, qua praeclarissimos in Republica honores adepti sunt. Quibus argumentis plenissimis dignitatis magnum excitate animum; & magnanimitatis pulcherrimam illam notam ostendite, vos dociles, obsequentes, & gratos ab his doctissimis Antecessoribus castigari, doceri, corrigi; quod hi in hac non solum Italiae, sed totius ferme Europae splendidissima urbe vestram conditionem ve- lint quam ornatissimam: & nunc patria pie- tate

6 DE MENTE HEROICA

*Expenditur
vox Studio-
rum Uni-
versitas ad
universum
Scientiarum
Orbem Audi-
toribus am-
biendum.*

*Studium Li-
terarum He-
roicum.*

*Expenditur
vox Sapien-
tia ad no-
scendum pro-
prium stu-
diorum fi-
nem.*

tate heic se vobis praebent, ut vos omnibus & cyclicis, & acroamaticis, quae tu quam celebrantur, disciplinis instituant: namque id est, quod haec vox Studiorum Universitas pollicetur. Et quidem certe ab his Doctoribus scientiae vobis omnes sunt perdiscendae. Etenim manca & debilis institutio literaria illa est in unam certam ac peculiarem disciplinam tota mole incumbentium: scientiae namque eadem natura sunt, qua virtutes; de quibus Socrates, qui in placitis habebat, ipsas virtutes nihil aliud esse, quam scientias. *T*omino negabat, uspiam unam esse veram, nisi ibidem ceterae omnes adessent. Quid? contraxisti frontem? an hoc dicto veltra ingenia deterri? Injuriam sane facitis divinae vestrae mentium origini. Ne supina vota concipiatis, ut dormientibus vobis in sinum de Caelo cadat Sapientia: ejus efficaci desiderio commoveamini: improbo invictoque labore facite vestri pericula, quid possitis; connaminor, quantum possitis: vestras in omnes partes versate vires: vestras mentes excutite; & incalescite Deo, quo pleni estis: eoque consilio, quod poëtis natura evenit, vobis ipsis mirantibus, divina edideritis vestra ingeniorum miracula. Haec, quae differo, *Literati Itali* momentoso illo, & ad rem, qua de agimus, apposito verbo graviter luculenterque confirmant, quo quamque studiorum Universitatem Sapientiam appellant. Sapientia Platonis definitur Hominis Interioris purgatrix, sanata.

DISSERTATIO.

7

sanatrix, consummatrix: Interior autem Homo mens, & animus est; utraque pars originis vicio corruptissima: mens ad verum facta falsis opinionibus, & erroribus aestuans; animus natus ad virtutem pravis affectibus, & vicis excruciatu. Igitur hoc est hujus Publicae Eruditionis propositum, ad quod oculos collimetis oportet; vos huc mente, animoque aegrotos convenisse ob vestrae melioris naturae medelam, salutem, perfectionem. Neque enim haec, quae dico, stultus aliquis derisor subsannet: namque eorum, quae dico, *Eruditos omnes* mihi habeo auctores. illo a corporibus ad animos. sapienter translatu vocabulo, quo studiorum Universitates Publica appellant *Gymnasia*: quod, quia Antiquis nosocomia erant incognita, uti gymnasticæ, quae in thermis exercebatur, corporum, ita in studiorum Universitatibus vires reficiuntur, firmantur, augmentur animorum. Haec si cogitaveritis, ingens illud e vestris studijs emolumentum percipietis, vos Rei Literariae dare operam, qua velitis, non videri, sed esse doctos; quod a Sapientia desideretis curari, sanari, perfici: nam de omnibus aljs sive Naturaे, sive Fortuneae bonis homines sat habent videri; de una salute omnes sese esse re vera sanos exoptant. Hoc fine, qui Sapientiae proprius est, vobis semel proposito, jam illi longe minores vestris animis excidant, necesse est, divitiae nempe, & honores; & opibus aucti, honoribus cumula-

*Expenditur
vox Publ-
cum Gym-
narium ad pre-
figanda v-
cia Litera-
torum.*

In Studiorum
Universitatibus
Ratio studi-
endi omni-
nium opti-
ma.

muli non destiteritis fieri usque & usque doctiores ; omnis fraus a vestris mentibus abe- rit, vanitas omnis, & impostura, quod non cu- piatis videri, sed desideretis esse doctissimi: vos nec ulla afficiet in alios, neque adeo aliorum in vos perstringet invidia ; qua utuntur, qua lae- duntur opum avidi, honorum ambitiosi : & quae inter illos invidia est, inter vos fiet ge- nerosa aemulatio ; quod id omnibus citra in- videntiam commune bonum , ut sunt omnia divina , quia infinita , desideretis vestram mentium , ac proinde animorum a corporis contagione secretam ὥμοιθειοτήτα. Nam quod curta contenti literarum suppellectile , non solum ineptam , perversam quoque etiam ac- cusant hanc in studiorum Universitatibus doc- cendi rationem ; ubi nedum alj alia , sive adeo eadem , alio tamen arguento , aliave me- thodo , sed saepe prorsus contraria doceant. Incommoda sane ratio ; fatemur quidem : namque optima perpetuo uniformis optan- da esset : sed quando ea per rerum naturam ab tribus his pulcherrimis necessitatibus per- negatur , novis Inventis , novis detectis Ve- ris , novis castigatoribus Curis ; haec , quae ab istis accusatur , docendi ratio optima est ; & ob tres has vicissim , quas affert haut sper- nendas utilitates: principio nequis vestrum in ullius magistri verba sacramento adigatur ; quod plerumque sit in Scholasticorum disci- plinis: deinde ne ullo Literarum Seculo abri- piatur , ut in privatis gymnasij ; cuius fluxa studia

studia ut cooruntur , ut occidunt , & repen- te adulta repente consenescunt ; at litera- riae operae , quae immortalia opera efficiant, A Eternitati locandae sunt : postremo , quod ad nostrum argumentum in primis attinet , ut per noscatis , ecquid boni aliae aljs discipli- nis commoden , nam quaeque aliquid in se boni habet , ecquid omnes in ipsam Sapientiae Integram summam conferant ; ad quam capessendam , liberales Adolescentes , vos serio seduloque & moneo , & exhortor. Hac igi- tur potissima de causa audite omnes discipli- narum Doctores , eo tamen , quod diximus , proprio Sapientiae proposito , ut eorum do- trinae curent , sanent , perficiant omnes ve- stras mentium , animorumque facultates. Et Metaphysica intellectum a sensuum carcere , Logica rationem a falsis opinionibus , Ethica voluntatem a pravis affectibus liberet : Re- thorica , ne lingua mentem , neve mens cau- sam aut prodat , aut deserat : Poëtica , ut effrenes phantasiae aestus temperet : Geome- tria ingenj errores contineat : Physica vero stupore vos excitet , quo defixit cum suis Na- tura miraculis. At enim non hi sunt amplissimi bonorum finis , quibus Sapientia beatur ; proponite vobis , & expectate longe splendi- diores . Studjs namque Linguarum , quas no- stra Christiana Religio colit , ut suas , cum praeclarissimis historiae universae populis ser- mones ferite ; omnium antiquissimâ cum He- braeis ; omnium elegantissimâ cum Graecis ; omnium

Sapientia In-
tegra com-
paranda .

Studiorum
fines huma-
ni .

Studiorum
fines heroici .

IO DE MENTE HEROICA

omnium majestatis plenissimâ cum Latinis :
cumque linguae sint ferme naturalia morum ve-
hicula , Orientalibus, quae ad Linguae Sanctae
captum sunt necessariae , ut ante omnes Chal-
daica , vos in urbe omnium maxima , Baby-
lone Assyrj magnificentia , Athenis Graeci at-
tica vitae elegantia , Romae Latini animi al-
titudine imbuant . Lectione historiarum ma-
ximis Orbis terrarum Imperjs, quae unquam
floruerunt , animis praesentes adeste : & ad ci-
vilem prudentiam exemplis firmandam , ex-
pendite origines , incrementa , status , devo-
lutiones , & interitus populorum , ac gentium ;
& ut rebus humanis flagitiosa Fortuna super-
be dominatur , ac super Fortuna ut Sapientia
firmum , ac stabile regnum obtinet . At her-
cule illâ Poëtarum cum ineffabili , quia ho-
minis maxime propria voluptate , qui suâpte
naturâ fertur ad uniforme personarum in om-
ni vitae genere sive moralis , sive familiaris ,
sive civilis ad ideam optimam , atque ob id ip-
sum verissimam graphyce descriptos observa-
te characteres ; ad quos vulgatis naturae ho-
mines collati , quia vitâ non constant , ubi
non constant , ipsi potius falsi esse videantur :
eaque ratione in praestantium Fabulis poëta-
rum Humanam Naturam vel in sua ipsius tur-
pitudine pulcherrimam , quia sibi semper con-
venientem , sui semper similem , in omni sui
parte decoram divina quadam mente contem-
plemini : uti Deus optimus maximus Naturae
Universæ sive errantis monstra , sive mali-
gnæ

DISSERTATIO.

ii

gnæ pestes in AEterno suæ Providentiae Or-
dine & bona , & pulchra intuetur . Qui prä-
stantes Poëtas ingenti voluptate perfusi , ae-
que tanta admiratione correpti legite subli-
mes Oratores ; qui mira arte ad corruptam
humanam naturam accommodata animos
quantumvis obfirmatos , affectibus , qui a cor-
pore commoventur , in prorsus contraria vo-
lentes contorquent : quod unus praeterea prä-
stat optimus maximus Deus , at per suas in
immensem adversas vietricum auxiliorum di-
vinas vias , quibus hominum quantumlibet
affectibus terrae defixas mentes caelesti volu-
ptate ad se trahit . Ad haec humana acce-
dant illa sublimia Naturæ . Geographiâ ma-
gni itineris duce ; cum Sole universam Ter-
ram , & Oceanum ambite . Astronomiae ob-
servationibus planetarum pergrate orbes ,
caecas ac sinuosas cometarum explorare vias .
Cosmographia vos sistat ad

Harmantia moenia Mundi .

Tandem vos Metaphysica Naturam supergres-
sa in beatissimos , interminatosque AEternita-
tis campos educat ; ubi in Divinis Ideis , quan-
tum menti finitae fas est , & innumeræ hactenus
creatæ videte formas , & quæ deinceps creari
possunt , si uti re ipsa non est , Mundus esset aeter-
nus . Ita omnes humanarum , naturalium , aete-
narumque rerum tres Mundos permeate : & do-
ctrinæ , atque eruditione divinam ferme vestra-
rum mentium celebrate naturam . Namque hæ
sublimes meditationes cesto sperare jubent ,
sore ,

fore, uti tam altos erectosque fingatis animos, ut omnes sensuum voluptates, omnes divitias & opes, omnes honores & potentiam quam profundissime infra vos posita esse despiciatis. Jam vero de Scriptorum delectu, quo ad Integrarum Sapientiam auditione acquirendam sequamini, sat vobis sapientes hujus Regiae Academiae Ordinatores suis legibus prouiderunt, juxta illud Quintilianii monitum, in disciplinis optimos esse diligendos; ut de Theologia divinum utriusque Instrumenti Codicem, quem Ecclesia Catholica rite, ac recte interpretatur; ejusque ab Apostolicis usque temporibus perpetua Traditione solidis Historiae Ecclesiasticae monumentis graviter fideliterque custodit: de Jurisprudentia Corpus Juris Iustitiae, Antiquitatum Romanarum locupletissimum testem, elegantiarum Latinae Linguae conditissimam penum, & sanctius legum humanarum aerarium: de Medicina in primis Hippocratem, qui immortale elogium meritus est, nec fallit quenquam, nec ab ullo unquam falsus est: de Philosophia Universa Aristotelem, aliosque praestantis famae Philosophos, ubi is deficiat: de ceteris disciplinis ejusdem amplissimi census alios. Ad hos omnis memoriae Scriptores Principes porro legendos hi Antecessores doctissimi Commentarij suis, tanquam digitum intendentes vos dimittent instructos rationibus, ex quibus j optimi in sua quisque doctrina extitere. Quod Commentariorum genus non solum vos illexerit,

Delectus Scriptorum sublimis.

Sublimis Commentaria Ratione.

Auditio, Lectioque sublimes.

xerit, ut a vestris studiorum incunabulis diurna nocturnaque manu versetis optimos; sed illa investigatione caussarum, ex quibus j extitere optimi, vos praeterea excitaverit, ut ideam perfectiorem fingatis; ad quam ipsi doctrinarum Principes compositi de exemplaribus sient exempla; itaut super eorum archetypis eos aemulari, & superare quoque etiam possitis: qua ratione, nec certe aliâ scientiae artesve emendantur, augmentur, perficiuntur. Neque enim venia digni sunt, qui in mediocribus, ne dicam, imae notae scriptoribus legendis omnem literariam vitam contribuerint; quos js haec Publica Eruditio suis legibus academicis haut sane commendavit. Totum autem audiendi tempus nihil aliud agite, quam conferre quae didiceritis; ut quaeque inter se constent, & cuncta in quavis scientia consentiant: ad quod faciendum ipsa humanae mentis natura vos duxerit; quae uniformi, convenienti, decoro summopere delectatur; ut *Latini* sapienti vocabulo *Scientiam* appellasse videantur ab eadem, unde dicitur *scitus*, origine, quod idem, ac pulcher significat: quia, cum pulchritudo sit membrorum inter se, omniumque in aliquo praestanti corpore justus commensus; scientia nihil aliud existimari debet, quam mentis humanae pulchritudo: qua homines semel capti formas corporum vel maxime luculentas ne advertunt quidem, tantum abest, ut js commoveantur. Isto conferendi firmato habitu, vobis

Ratio Humana Universa perficienda.

sublimis doctrinam delectus.

parabitis facultatem scientias ipsas inter se conferendi ; quae , tanquam caelestia membra divinum Sapientiae Integrale , ut ita dicam , corpus componunt . Cumque Ratio Humana Pythagorae sit haec ipsissima rerum spiritualium collatio , quam sive explicat , sive involvit exemplis numerorum ; eo pacto Rationem Humanam Universam perficietis ad purissimae , & candentissimae lucis instar ; quae , quo cumque mentis oculos convertatis , suos dirigit radios ; itaut omne , quod dicunt , scibile , omnesque ejus partes quam bellissime sibi convenire , respondere , constare , tanquam in uno aliquo punto , in unaquaque veltra cogitatione conficiatis : quod est absolutissimum Integri Sapientis exemplar . Ad quamnam autem disciplinam egregie praeter ceteras annum applicetis , namque , ut sitis Reipublicae utiles , aliquam unam in ea profiteri vos , oportet , ipse vos vester Genius edocebit voluptate , qua in illa praeter ceteras ediscenda perfundi sentietis : eo namque criterio Natura utitur , quae vobis in id a Summo Numine tutor datus est , ut sciatis , ibi volentem lubentemque vestram esse Minervam . Quod consilium uti est natura tutissimum ; ita id mihi , qui vos ad optima maxima hortor , haut splendidissimum esse videtur . Saepe enim in homine optimarum maximarumque rerum facultates insunt ita abditae , & consopitae , ut vix ac ne vix quidem ab earum compote sentiantur . Cimo Atheniensis , est vulgatissima historia , ho-

mo

mo sane plumbeus adolescentulam efficit deperibat ; cumque haec ei joco , tanquam rem illius natura negatam dixisset , se eum , cum militum centurio factus esset , amaturam ; homo militiae nomen dedit , & in belli ducem praeclarissimum abijt . *Socrates* ingenio ad flagitia impense proclivi natus erat : sed divino quodam conatu ad Sapientiae studium conversus , primus Philosophiam de Caelo revocasse dictus est , & omnium philosophorum Parenis appellatus . Cum quibus veterum recentia componamus exempla praestantium virorum , qui mira sua sibi ignota ingenia aliena sapientia experti sunt . *Julius Mazzarinus Cardinalis* de se forensem operam , gregarium militem , privatae fortunae aulicum praebuerat : at per alias ex aljs civilium agendarum rerum occasionses natas , & ab amplissimis Viris imprudenti objectas sapientissimus vir politicus factus est ; qui apud Ludovicum XIV . Galliae Regem particeps secretorum perraro magnae fortunae exemplo in longa potentia objit . *Franciscus Guicciardinius* in Romano foro Jurisprudentiam profitebatur : at a summis sui temporis Pontificibus ingratjs , atque adeo invitus compluribus pontificiae ditionis urbibus Praefectus impositus , cum per occasionem gallici belli , quo Carolus VIII . Italiam omnem concusserat , complura cum Gallis gravissima e bello nata negotia Summorum Pontificum mandatis transegisset ; ea de caussa ad res Italiae sui temporis scribendas animum adjunxit ; & Italicae Lin-

B 2

guae

*Lucubratio
sublimis.*

guae Historicus omnium facile Princeps extitit. Quapropter quoquoversus mentis oculis circumspicite; quoquaversus ingenia circumagite; abditas & astrusas vestras facultates scrutaminor, ut vestrum ignotum forsitan splendidioris naturae Genium agnoscatis. Ita *Universo Scientiarum Orbe circumacto*, quam potissimum delegistis, eam altiore, quam ipsi viri docti faciunt, animo profiteamini: non tantum (paucis exemplis totum genus complectar) Medicinam, ut bene morbos curetis; Jurisprudentiam, ut sapienter de jure respondeatis; Theologiam, ut divinarum rerum rectam doctrinam custodiatis: sed quo ingenti animo, sublimique arte vobis Auditio, Lectioque praeleverint, eopse animo, eapse arte sequatur necesse est Lucubratio. Ea namque Scriptorum Principum perpetua sic audiendo, sic legendo firmata consuetudo egregiae naturae sponte vos duxerit, ut eos ipsos in lucubrando judices vobis semper praesentes adhibeatis: & illud a vobismetipsis identidem sciscitemini, Medici, (propositis exemplis insistam) quid, si haec, quae meditor scriboque, ipse audiret Hippocrates? Jurisconsulti illud, quid, si haec audiret Cujacius? Illud Theologi, quid, si haec Melchior Canus audiret? Nam qui Scriptores, qui temporum vetustatem pertulere, sibi Censores proposuit, non potest opera lucubrare, quae non reliqua Posteritas admiretur. Grandibus his gradibus, quibus in via Sapientiae grassemini, facile vobis erit ulterius progredi, ut non unus

*Librorum
Censura per-
petua.*

unus aliquis vestrum dixerit;

Avia Pieridum peragro loca:

& ab alijs praestantissimis ingenio, & doctrina viris aut ardua frustra tentata perficiatis, aut hactenus intentata conemini: vos, Medici, (propositis exemplis rem peragam) historjs, observationibusque medicis undique collatis, alios aphorismos decernere; quae duum milium, & plus eo, annorum gloria adhuc apud unum peritat *Hippocratem*: Jurisconsulti, non minus Juris definitionibus, qua scientia *Aemylius Papinianus* Jurisconsultorum Princeps habitus est, & *Jacobus Cujacius*, vel maxime florente Eruditorum Juris Interpretum seculo, sese supra omnes efferebat, Universam Jurisprudentiam per Corollaria complecti: quod praestantissimum opus ut aetate, ita Juris sapientia grandis *Antonius Faber* in sua *Jurisprudentia Papiniana* aggressus est; at sive in progressu difficultate deterritus, sive morte occupatus non absolvit: Theologi, Philosophiae Moralis super Christianae Doctrinae Principis Systema condere; quod *Sfortia Pallavicinius Cardinalis* magnanimo ausu tentavit; de eadem re *Paschalius* sapientissima quidem cogitata, sed sparsa edidit; *Malebrancchius* in ipso conatu defecit. Legite magni *Vervulani* aureum de *Augmentis Scientiarum*, &, si nonnulla excipias, semper suspiciendum, & ob oculos habendum librum; & considerate, quantum *Scientiarum Orbis* restet adhuc corrigendum, supplendum, detegendum! Ne-

que vero vos incautos iste sive invidus , sive ignavus circumveniat rumor ; hoc beatissimo seculo , quae in Re Literaria effecta dari unquam potuerant , jam omnia absoluta , consummata , perfecta esse, ut in ea nihil ultra desiderandum supersit . Falsus rumor est , qui a pusilli animi Literatis differtur . Mundus enim juvenescit adhuc : nam septingentis , non ultra , ab hinc annis , quorum tamen quadringtones Barbaries percurrit , quot nova Inventa & quot novae Artes , quot novae Scientiae excoxitatae ? Acus nautica , navis solis instruta velis , tubus opticus , Turricellj machina , machina pneumatica Boylis , sanguinis circulatio , microscopium , tubus Arabum stillatorius , Arabicae numerorum formae , informia magnitudinum genera , pulvis pyrius , tormentum bellicum glandignivomum , tholus templorum , typi literarj , charta linteal , horologium : singula quaeque optima maxima ; & omnia Antiquis prorsus incognita . Unde ortae nova navalis , & nautica , quibus novus Terrarum Orbis detectus , & geographia mirum quantum ! adacta ; nova astronomiae observata ; novae temporum rationes ; nova mundana , nova mechanicae , nova physicae , nova medicinae systemata ; nova anatome ; nova spargirica , Galeno tantopere desiderata ; nova geometriae methodus , & arithmeticæ facta longe expeditior ; nova bellica ; nova architectura : tanta librorum facilitas , quae vilescit , tanta copia , quae fatiscit . Quomodo

tam

tam repente Humani Ingenij natura effoeta est , ut alia inventu aequa egregia sint desperanda ? Ne desponeatis animum , generosi Auditores ; innumera restant adhuc , & forsan his , quae numeravimus , majora meliora . In magno enim Naturae sinu , in magno Artium emporio ingentia Humano Generi profutura bona in medio posita sunt ; quae hactenus jacent neglecta , quia hactenus ad ea Mens Heroica animum non advertit . Magnus Alexander in Aegyptum delatus uno suo magno oculorum obtutu Isthmum vidit , qui Erythraeum a mari Mediterraneo dividit , & qua Nilus in Mediterraneum effluit , & Africa Asiaque continentur ; & dignum reputavit , ubi suo nomine urbem fundaret Alexandriam ; quae statim & Africæ , & Asiae , & Europæ , totius Mediterranei maris , & Oceani , Indiarumque commercjs celebratissima fuit . Sublimis Galilaeus Venerem corniculatam observavit ; & de Mundano Systemate admiranda detexit . Observavit ingens Cartesius lapidis a funda jacti motum ; & novum systema Physicum est meditatus . Christophorus Columbus ventum ab Occidentali Oceano in os sibi adspirantem sensit ; & eo Aristotelis argumento , ventos e Terra gigni , alias ultra Oceanum esse Terras conjecit , & novum Terrarum Orbe detexit . Magnus Hugo Grotius unum illud Livj dictum , sunt quaedam pacis , & belli iura , graviter advertit ; ac de Jure Belli , & Pacis admirabiles libros edidit ; a quibus si aliqua ex-

pun-

Hujus Studiorum Rationis utilitates in vita facile ingentes;

Certe post obitum frumentus aeternus.

punxeris, incomparabiles non immerito dixeris. Quibus illultribus argumentis, quibus exemplis amplissimis, Adolescentes ad optimam maxima nati, Mente Heroica, ac proinde magno animo Literarum studjs incumbite; Integrā Sapientiam excolite; Rationem Humanam Universam perficite: divinam fere vestram mentium celebrate naturam: aestuate Deo, quo pleni estis: sublimi spiritu audite, legite, lucubrate: herculeas subite aerumnas; quibus exantlatis, ab vero Joye O. M. vestrum divinum genus optimo jure probetis: atque adeo vos Heroas asserite, aljs Genus Humanum ingentibus commodis ditaturi. Quae amplissima in Universam Humanam Societatem merita facili negocio & divitiae, & opes, & honores, & potentia in hac vestra Republica consequentur: quae tamen si cessaverint, non manebitis: & cum Seneca aequo animo, hoc est, non elato, si advenerint, excipietis; nec demisso, si abierint, resignabitis stultae furentique Fortunae: & contenti eritis eo divino, & immortali beneficio, quod Deus optimus maximus, qui nobis, ut principio diximus, in Universum Genus Humanum diligentiam jubar, vestrum aliquos praecipuos delegisset, per quos suam in Terris gloriam explicarit.

F I N I S.

Dom. Can. Torno revidebat, & referat. Neap. 26. Oct. 1732.

CAN. D. ANTONIUS CASTELLI VIC. GENI.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME.
D Q M I N E ..

Ullisti, Eminentissime Domine, Me de Libello, cui titulus *De Mente Heroica*, Auctore Joh. Baptista Vico censuram proferre. Parvi; at quid censem? Auctorem prodidi; id & censurae, & cumulatissimae laudis, (quae duo oratione idem sunt, dum de auctoris hujus lucubrationibus differitur.) loco est. Opusculum tamen hoc hac peculiari laude exornandum est, quod Pidei Catholicae optime servit, nedum ad scientiarum tutam solidamque acquisitionem viam latissimam steruit. Quid sentirem, semperque senserim dixi: tuum erit, Eminentissime Domine, auctoritatem in ejus evulgatione impertiri: tuum erit judicium meum stabilias confirmesque. Datum Neapoli die 28. Octobris an. Ch. MDccxxxii.

E. V.

Devinctissimus Clieus
Canon. Julius Tornus.

Attenta supradicta relatione Dom. Canonici Torno, impressatur. Neapoli 28. Octobris 1732.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Mag.

Mag. U. J. D. Nicolaus Capasso videt, & in scriptis
referat.

Neapoli die 12. Novembris 1732.

MAZZACCARA REG. GIOVENE REG.
VENTURA REG. CASTELLI REG. PEYRI REG.
PATERNO' REG.

Spectabiles Regentes Lauria, & Pisacane non inter-
fuerunt.

Athanasius.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

UT imperio tuo obtemperarem, legi Dissertationem
parascevaisticam Regiis Studiis inchoandis a V. C.
Jo: Baptista Vico habitam *De Mente Heroica*; ubi ni-
hil prouersus occurrit, quod vel Caesaris jura, vel mor-
um disciplinam ulla ex parte violaret; imo vero docta
patenesi studiosorum juvenum animos cum ad libe-
rales artes plane capessendas, tum ad suum cuique ex-
cutiendum ingenium, ut ad sublimiora semper con-
tendant, praeclaris argumentis, ornataque dictione non
excitat tantummodo, verum etiam urget vehementis-
sime. Itaque, si quid in me judicii est, dignam eam
esse existimo, quae operis Typographicis publica fiat;
si modo tua, quam prae ceteris suspicimus, ac vene-
ramur, eddem accesperit auctoritas. Vale. Neap. A. D.
xv. Kal. Decembris. A. 1732.

E. T.

Addic^{ti}ssimus Servulus
Nicolaus Capassus.

Visa supradicta relatione, imprimatur; verum in pu-
blicatione servetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA REG. GIOVENE REG.
PISACANE REG. VENTURA REG. CASTELLI REG.
PEYRI REG. PATERNO' REG.

Provifum per S. E. Neapoli 24. Novembris 1732.
Ill. Dux Lauriae non interfuit. Athanasius.

AEQUA-

AEQVANIME LECTOR, quae menda
Humana parum cavit Natura,
sic, quaeso, emenda; in Dedicat. vers. antepenult.
IN ME . pag. 3. vers. 9. vestrarum pag. 4. vers.
25. huic m. p. pag. 8. vers. 4. supelectile
pag. 10. vers. ult. universae.

